



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

24. De resignationib. beneficiorum promulgandis iuxta regulas
Cancellariæ, & Constitutiones Pontificias.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

tionem, & tanceo viaculo teneatur? Respondet Couar-
tu. *prædicto cap. 16. num. 4.* posse. Ita teste *Flamin. de resign.*
lib. 10. quest. 8. num. 39. definitum est in *Autorio Rotæ de*
caus. de sentent. excomm. & de res. 195. in nouis. & de res. 126.
& de res. 720. in antiquis. Ex dictis constat, resignatarium
statim, vt beneficium resignatum habuerit acceptum, su-
scipere in se onera debere ipsi beneficio imposta, ita vt
cogatur pensionem soluere, & in Ecclesia præfens esse, &
proces horarias recitare, si beneficii possessionem sit na-
ctus, eo quod beneficium dimissum gratia ipsius, acce-
ptum habens, ad omnia onera beneficii annexa sese taci-
te obligat.

CAP. XXIV.

De resignationibus beneficiorum promulgandis, iuxta regulas Cancellariæ, & Constitutiones Pontificias.

Primo quæritur, An resignatarius resignationem pro-
mulgare debeat? Respondeo, de promulgandis, siue,
vt loquuntur, publicandis beneficiorum resignationibus
tria tempora distingui oportere. Primo tempore denun-
tiabatur, seu promulgabatur resignationes iuxta regu-
las Cancellariæ editas à Pontificibus, quæ fuerant à tem-
pore Sixti Quarti, vsque ad Pium Quartum. Verba autem
regulæ sic habent: *Item, idem Dominus noster statuit, & or-
dinauit, quod quæcumque beneficia Ecclesiastica, siue in Roma-
na curia, siue extra eam resignata, nisi de illis facta resignatio-
nes, si in Romana curia, infra sex menses, si vero extra dictam
curiam facta, sint infra mensem, ex tunc vbi dicta beneficia
constitunt, publicata, & possessio illorum, ab eis quos id contingit,
petita fuerit, si resignantes ista postmodum in eorundem re-
signatarum possessione decesserint, non per resignationem, sed per
obitum huiusmodi vacari censentur; collationes quoque de illis
tanquam vacantibus facta, & inde secuta, nullius sint roboris,
vel momenti.*

Pius item Quintus Constitutionem edidit sic incipien-
tem: *Sancitissimus in Christo Pater*, quam ad verbum ponit
Flamin. de resignat. lib. 11. in præfatione, vbi sic statuit: *Que-
cumque dictorum beneficiorum resignationes, aut itaui cessiones,
tam in manibus suis sanctissimæ quam cuiuscumque Romani
Pontificis sui prædecessoris, aut sui cessionis, aut cuiusvis alte-
rius etiam loci ordinarii, vsque in diem publicationis præsentis
Constitutionis facta, & quæ in posterum fieri contigerit, sub in-
frascriptis modo & forma, & non aliter publicari debeant: vi-
delicet resignationes & cessiones iam facta, si illarum vigore pos-
sedit non demum fuerit per resignatarium vel cessionarium apprehen-
sa, etiam si super illis consensus præstiti fuerint, nec non eas,
quæ infra tempus inferius designatum, à quo præfens Constitutio
obtinere incipiet: si quidem extra Romanam curiam facta
extiterint, infra unum: si vero in eadem curia, infra sex men-
ses, à die qua eadem Constitutio sicut præfertur, obtinebit nu-
merandor: reliqua vero, quæ post dictum diem fieri contigerint,
si quidem extra curiam Romanam, similiter infra unum: si
vero in ipsa curia fuerint, infra sex menses à die datæ supplicatio-
nis resignationum, seu cessionum eorundem, non autem à die
præstiti seu præstandi consensus computandos, in Ecclesia ipsius
beneficii, ac etiam in Cathedrali vel Metropolitana, vel alia su-
periori Ecclesia, cui beneficium ipsum resignatum, vel cessum
immediate subest: si quidem beneficium extra Cathedralam
Ecclesiam situm est, vel fuerit: si vero beneficium huiusmodi
in Cathedrali, vel alia superiori Ecclesia extiterit, in ipsa sola,
dum inibi populi multitudo ad diuinam audientiam conuenierit, pu-
blice, ac alia & intelligibili voce, ita quod ad omnium in eadem
Ecclesia præsentium notitiam verisimiliter peruenire possit, per
ipsos resignantes, vel cedentes, aut resignatarios, vel cessiona-
rios, vel alium, seu alios eorum nomine publicentur. Ipsique re-
signatarii, vel cessionarii realem & actuale possessionem bene-
ficiorum huiusmodi realiter, & cum effectu apprehendere, vel
saltem illam infra prædictum unum, vel sex mensium termi-*

num, ab his, ad quos illius traditio de iure, vel de consuetudine
spectat, vere, & non fictè, seu per suuictorie congruo loco & tem-
pore patere debeat: & si beneficia ipsa etiam quoad possessio-
nem tantum litigiosa, & per alias possessa fuerint, vel eorum pos-
sessio, ex quauis causa capi, seu apprehendi non possit. Si item
huiusmodi in dicta curia nunc aut in futurum pendere contige-
rit, ultra præmissa, licet res desuper expediat, vel saltem instru-
mentum consensus cum data supplicationis, ac etiam cum desi-
gnatione libri & folii, in quibus supplicatio huiusmodi registrata
fuerit infra mensem à die eiusdem datæ, non autem à die præstiti
consensus numerandum, in actis Notarii causa & lise huiusmo-
di, realiter, & cum effectu præferant, illamque in eisdem actis
annotari facere. Et insuper quod in omnibus & singulis casibus
supradictis resignataris, seu cessionaris, eorumque successores, vel
causam ab eo quomodolibet habentes consentum ante obitum
resignantis, vel cedentis, etiam si supplicatio per eundem resi-
gnantem, vel cedentem, vel eius procuratorem porrecta fuerit in
libris Camera, vel Cancellariæ (si quidem resignatio vel cessio
huiusmodi in ipsa curia. Aliis si extra curiam facta fuerit, vel
fiat) in actis Episcopalis, seu Archiepiscopalis, vel aliorum supe-
rioris curia, cui beneficium ipsum immediate subest, extensum
fuisse, legitime docere, seu probare teneantur. Alioquin resigna-
tiones & cessiones, & extensiones consensus huiusmodi aliter,
quam vt præfertur, publicata, seu facta, cum omnibus in ea secu-
tis, & sequendis, etiam nouis prouisionibus, & aliis cessionibus, &
retrocessionibus, ceterisque quibusvis gratiæ, nullas & inualidas,
nulliusque roboris, vel momenti fore, aut fuisse, & esse statuis, &
præmissa omnia, & singula, etiam in quibuslibet beneficiis Con-
sistorialibus, & vt præfertur, litigiosis, etiam si resignantes, vel
cedentes extra possessionem eorundem beneficiorum ciuilitate vel
naturaliter decesserint: ac etiam si resignationes & cessiones præ-
fata ex causa permutationis, vel cum reservatione omnium &
singulorum fructuum, reddituum, prouentuum, & quotidianarum
distributionum propria auctoritate vel alius percipiendarum,
& cum reservatione tituli, administrationis, seruitii, &
aliis quomodocumque, & qualitercumque, etiam in fauorem ali-
cuius ex scriptis verbis Apostolicis, aut alius Romanæ curie officia-
libus, ac etiam in fauorem alicuius S. R. E. Cardinalibus, hæc-
tenus facta extiterint, aut etiam in futurum fiens: & resignata-
rios, & cessionarios ipsos infra dictum unum, vel sex mensium
spatium cedere, vel retrocedere contingat, locum habere, & reti-
nere voluit. Ita Pius V. in ea Constitutione.

Anno 1583 promulgata est constitutio Gregor. XIII.
de resignationibus publicandis, quæ incipit: *Humano vix*:
quam nunc obseruat Curia Romana, ea enim magna ex
parte prædictæ Regulæ Cancellariæ, & Pii V. Præfate
Constitutioni derogat, quam etiam ad verbum refert
Flamin. loco citato.

Secundo quæritur, Quibus de causis Rom. Pontifices
iusserint beneficiorum resignationes publice denunciari?
Respondet, ad fraudes, & multa alia incommoda, & ma-
la tollenda: ne si occulte fiant resignationes beneficiorum,
simulata & ficta existant: & ne resignantes, post re-
signationem admissam in beneficia dimissa de iure se in-
ferant, & fructus percipiant, & administratione & officio
fungantur: ac vt Parochiani sciant quibus Pastoribus pa-
tere debeant, ac eis partem fructuum decimam perfolue-
re, & ab eis Sacramenta petere & accipere: & ne etiam locorum
Ordinarii deludantur, & iure quod habent in con-
ferendis beneficiis, aliqua ex parte fraudentur.

Tertio quæritur, Intra quantum temporis spatium sint
resignationes beneficiorum promulgandæ? Respon-
deo distinguendo: olim per Regulam Cancellariæ,
& Constitutionem Pii V. resignationes beneficiorum
resignatorum extra Curiam Romanam, apud locorum
Ordinarios infra unum mensem publice denunciari de-
bebant, sed resignatorum Curia, intra sex menses, vt resi-
gnatarius satis temporis habeat, quo possit ad locum ab
vrbe distantem se recipere, vbi resignatio est promulganda.
Cæterum Gregor. XIII. Constitutio concessit bene-
ficia resignantibus in curia, sex menses, si ea citra montes
existant: nouem vero menses, si ultra montes extiterint:

Verba Constitutionis sic habent: [intra sex menses, si beneficium citra monies fuerit: ultra vero intra novem.] De resignationibus vero, quae sunt extra curiam eorum locorum ordinariis, praecipit Pontifex, ut Episcopus eas admittat, aut recusat, & beneficia resignata conferat infra unum mensem, & resignatarius resignationem infra tres menses promulget. Verba Constitutionis haec sunt: De beneficiis autem quae deinceps in manibus ordinariarum collatorum, etiam Cardinalium, etiam indulta, & facultates ab Apostolica Sede habentium, ac Legatorum etiam de latere, & Delegatorum etiam specialium eiusdem Sedis, etiam extra Romanam curiam resignari etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra mensem negotium universum admissio, vel reiectio, resignationis huiusmodi. Et si per eos facienda erit, provisionem beneficii iuxta Apostolicas, & alias Canonicas sanctiones, omnino ad solvant: & qui sic provisus fuerit, intra tres menses à die si facta provisione, illam publice, & possessionem beneficii capiat modo, & forma supradictis. Alioquin illis elapsis nulla sit eiusmodi provisio, & beneficium vacare confectur eo ipso. Ordinariusque, & alii praedicti, qui hoc, ut eis prescribitur, non perferant, eo casu possessione dispensandi de ipsi beneficiis, sint ea vice privati, tanquam dispositio apud Sedem Apostolicam devoluta existat, aut alius idoneus ab ipsa Sede duntaxat, modo & forma praedictis concedantur. Sic ibi.

Ex quo efficitur, ut resignationes beneficiorum extra curiam, ij, apud quos beneficia resignantur, debeant admittere, vel recitare intra mensem, & infra eundem illa beneficia per resignationem vacantia conferre, si resignationem admiserint: & nisi horum aliquid effecerint, iure tunc ea beneficia conferendi priuantur. Et hoc Decreto comprehenduntur non solum Episcopi, sed etiam alii inferiores ordinarii, quorum est beneficia conferre: & Archiepiscopi, Patriarchae, Legati à latere, & Delegati, & Cardinales non solum cum iure ordinario beneficiorum resignationes admittunt, sed etiam cum ratione indulgentiarum, & facultatum à Sede Apostolica concessarum. Is vero cui resignatum beneficium confertur, coram eisdem ordinariis resignationem intra tres menses promulgare compellitur, qui menses computantur non à die resignationis admittae, sed à die, quo est beneficium collatum: potest enim accedere, ut prima die Iulii resignatio admittatur, & vigesima quinta die eiusdem mensis resignatum beneficium conferatur.

Quarto quaeritur, A quo die computentur assignati menses ad publicè denuntiandum beneficium resignatum in curia, An videlicet à die supplicationis datae & signatae, An vero à tempore dati consensus expressi? Magna fuit olim de hac re controuersia, ut testatur Flaminio de resignatione lib. 11. q. 2. num. 12. quibusdam asserentibus esse computandos à die datae supplicationis, aliis vero, à die praestiti consensus. Sed Pius IV. edita Constitutione incipiente: Sanctissimus, anno i. item dixerit: dicens: quaecumque beneficia Ecclesiastica in Romana curia resignata, nisi de illis facta resignationis infra sex menses à die datae supplicationis, & non à die praestiti consensus computandos. Idem etiam expressit Pius V. & Gregorius XIII. in praedictis Constitutionibus. hoc tamen, ut ait Flaminio loco citato. num. 17. locum habet duntaxat in resignationibus, in quibus praestatur consensus, dum vivit resignans, non autem in iis, in quibus post obitum resignantis, iuxta Alexandri VI. & Leonis X. Constitutiones, datur consensus. Sed quid si plures reperiantur datae supplicationes: videlicet, quia prima postea fuit recognita, & in meliorem formam mutata? Respondeo, esse menses numerandos à die primae datae supplicationis: nam Constitutio Gregorii XIII. ita loquitur: Et si postea concessio gratia huiusmodi ex quavis causa, diversisque subsequentibus datis, ac quotiescumque, & quovis modo reformata & valida reddita fuerit, menses computentur à die datae concessionis gratia. Quid, inquires, si resignatarius statim expeditis, vel non expeditis literis resignet beneficium gratia alterius, posteriorne hic resignatarius promulget resignationem intra menses nume-

randos à die resignationis sibi factae, an à die prioris datae? Respondeo, menses computari debere à die primae datae supplicationis. Ita Gregorius in ea quaerenti, Constitutione declaravit, his verbis: Et quotquot in alium vel in alios cessiones, vel etiam in ipsorum primum resignantem, vel cedentem retrocessionibus termino praedicto novum elapso intercesserint: ita ut unicus duntaxat terminus omnibus huiusmodi successibus cessionibus, ac retrocessionibus decurrat, ut qui postremus gratiam habuerit, publicationem huiusmodi facere, ceteraque omnia hic prescripta intra eundem terminum praestare teneatur. Haec Pontifex: Quae quidem locum habent, quoties resignatarius resignat infra tempus ad promulgandam resignationem constitutum: secus vero est, quando resignationem denunciavit, vel tempus assignatum publicè denuntiationi faciendae fuerit elapsum. Hinc est, teste Flaminio loco citato. num. 22. ut si gratia eiusdem Clerici, datae sint resignationes factae, & prior firmiter ob promulgationem infra praescriptum tempus omittam, beneficium obtineri nequeat ratione posterioris resignationis, tametsi fuerit publicè denunciata, quoniam resignans cum resignavit, omne ius in beneficio amisit: nam eo ipso quo infra tempus lege praefixum resignata non fuit, beneficium vacavit: ac proinde per resignationem posteriorem nullum ius potuit in resignatarium transfere. cum enim nihil habeat, nihil dare potest. cap. Quod autem, de iure patronat. c. l. Si univ. c. de Lega. & publicè denuntiatio posterioris resignationis est irrita & inanis, quia quod semel extinctum est, non reuiuiscit.

Quaerens, Quid dicendum, si resignatio fuit admittenda ab uno Pontifice in gratiam Titii, & Pontifex moritur intra tempus promulgationis assignatum, An Titius resignatarius plus temporis acquirit ad promulgandam resignationem? Respondeo, olim teste Flaminio de resignatione lib. 11. quest. 2. num. 30. maxime de hoc articulo fuisse dubitatum: nunc vero constat mortuo etiam Pontifice, infra tempus promulgationi destinatum, resignatarium debere promulgare resignationem vel sede vacante, vel creato iam novo Pontifice infra ipsummet tempus, quod est promulgatione praescriptum, ut Pius Quartus sancit in hunc modum: Et cum nuper innotuit, nonnullos etiam Iurisperitos, & alia curia officiales, ac causarum Palatii Apostolici Auditores contendere, quod resignationes de beneficiis in manibus praedecessorum huiusmodi, tanquam illa per obitum praedecessorum exspiraverint, non subiciantur, & sub statuto, & ordinatione Sanctitatis suae, tanquam futurae & non praeteritae concernentibus non comprehendantur: Et sic occasionem praestare, ut frustus fiat legi. Et resignationes huiusmodi infra dictos sex menses non publicentur, nec ipsorum beneficiorum resignatariorum possessio ad eos, quos id contingit, petatur: praesentis huiusmodi constitutionis perpetuo valitura tenore declaravit, sua intentione semper fuisse, & esse, ut quaecumque resignationes de quibuslibet beneficiis Ecclesiasticis etiam in manibus praedecessorum huiusmodi contractis factae, & nondum suum plenarium effectum sortita, etiam si infra sex menses obitus eorum praedecessorum praecedentes factae, nec super illis consensus tempore eorumdem praedecessorum praestiti fuerint, statuto, & ordinatione suis praedictis subiacerentur, & subiciantur de praesenti, & in futurum. Haec ibi.

Quinto quaeritur, Quorum beneficiorum resignationes sint promulgandae? Respondeo, tum ex regula Cancellariae, tum ex Constitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. constare quorumcumque beneficiorum resignationes publicè denuntiari debere: nam in Constitutione Gregorii XIII. dicitur: De quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, prioratibus tam virorum, quam mulierum dignitatibus, officii, & beneficiis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis ordinum, etiam militiarum regularibus, etiam electivis & annualibus, etiam de iure patronatus. Haec ibi.

Quaerens, An resignationes beneficiorum referuatarum promulgari debeant? Respondeo, debere, quia Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. uniuersum de omnibus beneficiis loquuntur. Quae res etiam, An beneficii quo-

que pa-

que patrono addicti, eiusque consensu facta resignatio promulganda sit? Respondeo, promulgandam esse, quia in Constitutione Gregorii XIII. dicitur: *Ac etiam de iure patronatus laicorum illustrium, & alius quomodocumque existentibus.* Quid, inquit, si beneficia resignata Consistorialia sunt? Sane in regula Cancellaria de publican. resignat. quest. 5. testatur, quodam negasse, ea esse publice denuncianda. Ceterum Constitutio Pii V. sic est: *Et premissa omnia & singula, etiam in quibuslibet beneficiis consistorialibus locum habent.* Certe Episcopatus, & Archiepiscopatus qui in Consistorio conferuntur, promulgatione non indigent, ut vsus habet, testibus Rebuffo in praxi. regula, de public. Gloss. 1. & Flamin. lib. 11. q. 3. num. 25. de resignat. at vero alia beneficia minoris Consistorialia, quae Abbatiae, & Prioratus dicuntur, quaeque licet sint Consistorialia, extra Consistorium tamen conceduntur, & dantur, opus habent promulgatione. Et in his locum habet illud in Constitutione Gregorii XIII. scriptum: *Et de quibus in Consistorio nostro ad ipsi consuevit, seu debet, que posthac quacumque ex causa sent, & per nos, & per dictos successores, extra dictum tamen Consistorium admittentur.* Hac ibi. Quare si praedicta beneficia in Consistorio etiam conferantur, nulla indigent promulgatione. Flamin. loco citato, num. 27.

Queres, An que resignantur beneficia electiva, vel manualia, postulent promulgationem? Respondeo, postulare, quia in constitutione Gregorii XIII. habetur: *Et electiva, & manualibus.* Sed quid si litigiosa fuerint beneficia? Respondeo, ea quoque publice denunciari debere. Sic enim habent verba eiusdem Gregorii in Constitutione praefata: *Et alius quomodocumque existentibus, siue pacificis, siue in petitorio, & possessorio litigiosis.* Sed dubium est, si licet cum resignante, an cum resignatario finiri debeat? Praedictus Pontifex in eadem Constitutione hanc quaestionem dirimit his verbis: *Sed ne in beneficiis super possessione, vel proprietate litigiosis, litis persecutio turbari valeat, vel differri in causis huiusmodi contra cedentem, ad ulteriora etiam sententiam a definitivam, & rem iudicatum, ac illius executionem, quousque ille qui gratiam ex resignatione, seu cessione, aut ex omni forma publicationis huiusmodi obtinuit, ad causam per se, vel per procuratorem legitimum accesserit, litemque huiusmodi susceperit, eodem modo & ordine procedi possit, quo potuisset legitime, si cessione huiusmodi facta non fuisset.* Et quidquid interim sic procedendo decretum & expeditum fuerit, siue cum cedente, siue contra eum, etiam postquam ipse, vel quisvis alius incumbens sibi secundum praedicta, praesertim, non solum circa fructus, sed etiam circa possessionem, & ipsius ius, quod cessum est, valeat omnino, & vim obtineat: illumque ipsi, cui gratia facta est, non minus astringat quam si ipse legitime citato contra eum decretum, & expeditum fuisset: nec ipse adversus hoc, praetextu non acceptatae gratiae, vel etiam ignoratae, aut citationis, vel intimationis executioni contra ipsum minime demandata, aliarve ratione valeat excusari. Possit tamen ipse, etiam si in lite & causa huiusmodi subrogatus non sit, quomodocumque ad illius professionem, & terminationem venire. Hac ibi.

Postremo queres, An resignatio beneficiorum regularium promulgari debeat? Respondeo debere, quia in praefata Constitutione Pontificia decretum est: [De quibuscumque Ecclesiis, Modaliter, Prioratibus tam vicorum, quam mulierum, & quorumvis ordinum etiam militarum, regularibus, & electivis, & manualibus.] Item huiusmodi beneficia sicut aliquando vacant, vel quia beneficiarius moritur, vel quia a beneficio amoveatur: sic etiam vacare solent, quia eis beneficiarius cedit.

Obicies, istiusmodi beneficia regularia non iure tituli, sed commendationis dari? Respondeo etiam iure tituli conferri: nam ij qui conferunt, dicere solent: *Tibi conferimus, & de illo etiam tibi providemus, neque in illius verum, certum, & legitimum Priorem, Administratorem, & Rectorem facimus, constituimus, & deputamus.* Nec obstant verba apponi solita: *curam, regimen, & administrationem tibi committimus:* quia haec praedicta verba titulo quoque conue-

niunt: nam beneficium quod confertur, dicitur etiam committi. cap. Cum in illis, de praeb. in 6. Clem. 1. de suppl. Praetorum negligentia. Minus etiam obstat votum paupertatis emissum: quia haec beneficia regularia dantur superiorum consensu, & eorum iure adini & auferri queunt. Hinc sic ut ea Gregorij Constitutio locum habeat, etiam cum Praeceptoris S. S. Iohannis Hierosolymitani, vel S. Antonij, vel sancti Spiritus in Saxia de vrbe resignatur: secus vero, cum huiusmodi Praeceptoris dimittuntur intra tempus vacationis, vel mortuarij sic dicti. v. g. statuto religionis S. Iohannis Hierosolymitani, durante tempore vacationis, quod computatur a die, quo obiit Eques Ordinis, vsq; ad diem S. Iohannis Baptistae sacrum, & mortuarij, quod computatur a dicta celebritate S. Iohannis Baptistae, vsque ad aliam eandem in anno subsequenti celebritatem, beneficium nemini confertur, sed redditus, & fructus eo tempore ordini debentur. Vnde ij, quibus per id tempus haec beneficia manualia vacantia commendantur, ea conditione accipiunt, ut intra illud tempus non varient, aliud optando beneficium.

Sexto queres, Quinam beneficia resignata promulgare cogantur? Respondeo omnes in uniuersum resignatarios, ut constat ex Constitutionibus allegatis Pij V. & Gregorij XIII. ita ut ipsi etiam Romanae curiae Officialis hac lege teneantur: imo etiam Cardinales: nam in Constitutione Pii V. dicitur: *Ac etiam in fauorem alicuius ex sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus habitus facta extiterint, ac etiam in futurum, &c.* & Constitutio Gregorii XIII. Et quibuscumque etiam S. R. E. Cardinalibus, ac pios locis quocumque privilegio suffultis: necnon indultis, privilegiis, & gratiis Apostolicis, etiam praedictis Cardinalibus. Vnde exempti etiam promulgare debent beneficia eorum gratia resignata.

Queres, An secundum resignatarios resignatione promulgare cogantur? v. g. Titius in gratiam Caii beneficium resignauit, & Caius deinde in gratiam Seii, An Seius publice denunciare debeat resignationem? Respondeo, debere, quando Caius gratia ipsius Seii beneficium dimisit infra tempus promulgationis praefixum. Item, etiam si Caius resignationem promulgauit, debet nihilominus eam Seius promulgare, nam in Constitutione Gregorii XIII. sunt haec verba: *Pluresque, & quotquot in alium, vel alios cessiones, & etiam in primum resignantem, vel cedentem retrocessionibus termino praedicto nondum elapso intercesserint: ita ut unus dumtaxat terminus omnibus his successivis cessionibus & retrocessionibus detur.* Et qui postremus gratiam habuerit, publicationem huiusmodi facere, ceteraque omnia hic praescripta circa eundem terminum praestare teneatur. Sic Pontifex.

Queres etiam, An impetrantes beneficia vacantia, eo quod eorum resignatio debito tempore promulgata non fuerit, promulgare cogantur, ac si ea per resignationem obtineant? Respondeo, debere, & cogi, quoniam Constitutionis Gregorianae illius verba sic habent: [Et quicumque sic impetrans, aut gratiam etiam motu simili habens, praefinitum cuiusque casui tempus praedictum a data concessionis gratiae sibi factae huiusmodi, ac omnia quae cedens a iure praedicto debebat, praestare teneatur.]

Sed quid si plures impetraverint vacans beneficium, eo quod eius resignatio promulgata non sit? Respondeo, in dicta Constitutione contineri: *Et si pluribus gratiam huiusmodi fieri contigerit, in praesentibus obtineat, qui primus publicationem sua impetrationis fecerit, & possessionem adeptus fuerit, aut petierit, omniaque requisita praedicta adimpleuerit, quamuis in data sit postremus, & possessio ab alio in publicando negligentiore, prius apprehensa fuerit, vel petita.*

Postremo queres, An minor quatuordecim annis, cui est beneficium per resignationem collatum, promulgare resignationem debeat? Respondeo, debere: nec per ignorantiam excusari iure potest. Ut enim cum pater filio beneficium Parochiale conferendum curauit, filius per ignorantiam intra annum minime promotus, patre diplomata Pontificia retinente, in poenam incidit, & bene-

fium

ficiam amittit: sic etiam patre literas Pontificias apud se referante, ac ob id filio infra tempus legitimum non promulgante resignationem, eo ipso beneficium vacat, nec filius uti potest beneficio restitutionis in integrum: eo quod Constitutione Gregorii prænominata aperte decernitur, beneficia per resignationem collata vacare & amitti, quando cumque intra debitum tempus, resignatio promulgata non fuerit.

Septimo quaeritur, An renuntiatio causa permutatio- nis facta, sit promulganda? Respondeo teste *Flaminio de resignat. lib. 11. quest. 5. num. 16.* olim ante constitutiones Pii V. & Grego. XIII. maxime fuisse de hac quaestione dubitatum: Verumtamen eisdem Constitutionibus Pontificum aperte sancitum est, ut huiusmodi renuntiatio promulgetur, & uterque permutans beneficium, permutacionem promulgate cogatur: quod si alter illorum tantum promulget, permutatio irrita non fit: sed is qui non promulgat, eo ipso beneficium amittit. Vnde valet resignatio illius qui promulgavit: nam *ut docet Ioannes Andreas cap. 1. de verum permutatio. in 6.* quando culpa eius, qui beneficium cum alio permutat, permutatio non sortitur effectum, rata est & firma, ita ut ei liceat ad beneficium redire: quamvis alii sentiant, ei beneficium auctoritate superioris etiam restituendum, *de qua re inferius.* Quæres, An renuntiatio beneficii cum reservatione omnium fructuum, & nominationis tituli promulgari debeat? Respondeo, debere, quia in Constitutione Gregorii XIII. habetur: *Etiams reservationibus nominis, tituli, administrationis, possessionis, fructuum etiam omnium, ac rerum & iurium quorumcumque.* Et hoc locum habet, siue fructus relictari percipiendi sint nomine & auctoritate resignatarum, siue propria auctoritate resignantis.

Quæres itidem, An renuntiatio beneficii dari non iure tituli, sed commendationis perpetue promulgari debeat? Respondeo, debere, quoniam beneficia, quæ iure commendationis perpetue concedi solent, æquivalent beneficiis quæ iure tituli conferuntur. Quid si resignatio facta in curia sit in gratiam Titii, & ipse Titius resignatarus impetrauit à Pontifice, ut sibi gratia daretur in forma *Dignum?* Quidam teste *Flaminio de resignat. lib. 11. q. 5. num. 47.* arbitrantur, huiusmodi resignationem non esse promulgandam, quia Titius beneficii possessionem adipisci nequit, nisi prius auctoritate ordinarii examen subeat, quod vicem promulgationis habere videtur. Sed quia Gregorii XIII. Constitutio generatim loquitur: ideo hæc quoque resignatio promulganda est, *Flaminio loco citato.*

Quæri solet, An quando quis beneficium simpliciter dimittit, & summus Pontifex, apud quem beneficium deponit, alteri dimissum beneficium confert, is cui confertur, beneficium resignatum promulgare cogatur? Respondeo, cogi: quia Gregorii Constitutio uniuersim decernit, ut beneficia per resignationem obventa promulgentur. Quid si apud loci ordinarium, resignatum beneficium non est intra tempus legitimum collatum, ac propterea iure deuoluto ad summum Pontificem id conferte pertinet, & Titius ab eo illud impetrauit, promulgarene resignationem debet? Respondeo, debere: quia quamuis iure deuoluto, per resignationem tamen illud est consecutus. Postremo quaerens, An renuntiatio non beneficii, sed iuris quod quis habet in beneficio, sit promulganda? Sarnensis *de publicandis resignationibus. quest. 20.* sentit, per regulam Cancellariæ non esse promulgandam, quia regula locum habet in beneficio per resignationem accepto. At Constitutio Pii Quinti, & Gregorii XIII. oppositum aperte decernit, his verbis: *Quacumque dictorum beneficiorum resignationes, nec non litis & iurium quorumcumque cessiones.*

Octauo quaeritur, Vbinam, & quomodo resignationes beneficiorum fieri debeant? Respondeo in hunc modum. Olim per regulam Cancellariæ non constabat, quo in loco beneficia per resignationem obventa promulgari de-

berent: nunc vero per Gregorii XIII. Constitutionem sublata est omnis dubitatio: in ea decernentis, beneficium resignatum, esse promulgandum in Ecclesia, in qua situm est, vel in Ecclesiis, si in pluribus situm illud sit, & in Cathedrali. Et hoc locum habet in beneficio parochiali, vel curam animarum habente, vel perpetuam beneficiarii præsentiam postulante. Si vero beneficium sit, ut vocatur rurale, & populo conuentuque careat, promulgari debet in Ecclesia Parochiali, intra cuius fines continetur, & in Cathedrali. Quod si beneficium in ipsa Cathedrali Ecclesia sit, in ea est promulgandum. Si autem Ecclesia ad nullam diocesim pertineat, sufficit si in ea promulgetur.

Porro promulgandum est beneficium resignatum, cum frequens populus ad Missarum sollempnia conuenit, diebus nempe festis, dum diuina Officia fiunt, & diuinum verbum annuntiat. Et in promulgatione resignationis exhibendæ sunt literæ Pontificiæ, quibus ipsa resignatio beneficii continetur, nam in Constitutione Gregorii XIII. sic est: *Publicare debent cum literis Apostolicis desuper confectis, &c.* Nec sufficit promulgatione fieri aliquo modo, qui promulgationi æquiualeat: quoniam eadem constitutio ita loquitur: *Ceterum modus & forma hic tradita semper & ubique debent obseruari, nec alia, vel æquipollens ulla modo admitti.* Ex quo fit, ut apprehensa possessio, & ad aliquod tempus continuata non sufficiat: imo nec possessio per annum aut per triennium continenter deducta. Ita ut regula Cancellariæ, de annuali, aut triennali possessore absque promulgatione, nihil in hæc parte resignatorio proficit, ut aperte in ipsa Constitutione Gregorii XIII. decernitur.

C A P. XXV.

Quæ beneficia per resignationem dimitti queant.

PRIMO quaeritur, An omne beneficium apud legitimum superiorem deponi queat? Respondeo, posse dimitti: nisi iure aliquo scripto id impediatur: quoniam Clericus in beneficio ius habet: Sed quisque potest suo iure sponte cedere, nisi lege prohibeatur.

Secundo quaeritur, An beneficia quæ Consistorialia dicuntur, dimitti possint apud ordinarios locorum? Respondeo, minime, quia sunt Romano Pontifici referuata; ac proinde ea conferte, permutare, aut eorum resignationes admittere, ordinarius loci non potest.

Tertio quaeritur, An beneficium litigiosum lite pendente per resignationem dimitti queat? Respondeo, minime: alioqui resignatio est irrita & inanis: Sic etiam alienatio rei litigiosæ, lite pendente fieri non potest, quod si fiat, nullius est momenti. Vnde nec donari, nec pignori dari, nec hypothecæ subici iure potest. Eadem de causa nec patronus, dum lis pendet de iure patronatus, nominare, & offerre Clericum potest. At si alter litigantium beneficio cedat gratia & fauore alterius, valet actio, quia ea litem extinguit. Ex quo efficitur ut ordinarius loci, apud quem aliquis litigiosum beneficium dimittit, conferte nequeat, nisi lite finita & extincta, vel per longum tempus neglecta, eo quod licet iure Canonico constitutum certum tempus non sit ad lites & controuersias finiendas. *cap. penult. de iudicis,* si longo tempore fuerit à lite cessatum, lis finita censetur tanquam derelicta: Vnde iudicatum est aliquando litem esse finitam, quia per triginta septem annos fuerat neglecta: imo aliam, à qua intermissio facta fuerat per viginti quinque annos, & aliam item per decem & octo annos intermissam. Quæres, An qui ante litem inceptam beneficium dimittit, possessionem adire queat post litem ipsi intentatam? Respondeo, posse, quando lis contestata non est de possessione, sed tantum de iure ac titulo beneficii.

Ex his perspicitur, resignationem beneficii, nulla fa-

cta men-